


PALAEASTRA LATINA



SUMMARIUM

COROCOTTA, REX LATRONUM.

DE RECTA LINGUAE LATINAЕ PRONUNTIACTIONE.
(Jové)

PLANITIES GLACIATA, (Hultgren)

DE CARMINE SAECULARI, (Jiménez)

DE ARTIFICIOSAE HARMONIAE PRINCIPIO IN ARTE
PORTICA HORATII, (Ruiz)

MISSIONES MINIME NEGLEGENDAE.


BIBLIOGRAPHIA. (Leache, Jové, Martíja)

EXERCITATIONES SCHOLARES.

COMPOSITIONES VERTENDAE.


Ordinarii atque Superiorum permisso

XIV INTERCEDIT TERENTILLA

 «Sic non facies, Flave:
neutiquam facies». Cum-
que eam Corocotta leniter
repelleret: «Audi —in-
quit — obsecro, audi me.
Ah! non conabor equi-
dem, mihi crede, patris
facta defendere, ne atte-
nuare quidem. Solum recordare qualis ipsa erga te fuerim.

Quantum potui miseras tuas lenire tentabam. Non putabam
cerite venturum esse diem quo haec tibi commemorare de-
berem. Illud quidem agebam miseratione coacta. Esto igitur
clemens, Flave, esto clemens! En ego quae tua quandam
fueram domina supplex amplector genua. Ignosce Patri,
ignosce, obsecro, et miserere mei quae mortuo illi non ero
superstes». Flebat misere scissis singultibus, oculis in Co-
rocottae vultum defixis. Hunc autem aliquandiu relucentum
devicit, namque puellam allevans; Malim —inquit— te non
adesse, Terentilla; sed confide. Bonitatis tuae non amisi
memoriam; beneficia Flavi solvet Corocotta.

XV AULUS DIMITTITUR

 «Quibus auditis virgo:
«Gratias, inquit, gratias
ago tibi amplissimas. Ge-
nerosi tui facti numquam
obliviscar». Deinde in
patris amplexum cucurrit
et hens gaudio: «Mi pa-
ter», exclamat, nec potuit

quicquam amplius adjicere prae animi motu. Aulus autem
filian ad pectus diu tenuit artius pressam. Quo timore pri-
mum percussus erat, huic timori pudor successerat et ad-
miratio ejusque superbia plane evanuerat. Ideo demissa voce
dixit Corocotta: «Exprimere non possum quam tibi sim
gratus. Ulcisci poteras, ignorare maluisti. Sciro te grato
pepercisse animo; quamdiu vivam tuo me beneficio obstric-
tissimum existimabo. Subrisit Corocotta non sine quadam
recondita laetitia; vir enim ille qui superbum semper se
praebuerat fasces sibi summittebat. Deinde: «Non mihi
vitam sed filiae tuae debes. Utinam posthac ejus exemplum
in servos imiteris! Sed de re satis. Curabo ut ras Romanam
reducamini et hac nocte vobis hospitium praebeo.

PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS



Premium subnotationis annuae, solutione autelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione

De littera *H* (sequitur)

Charisius *h* aspirationem notat et ante vocales et post consonantes hoc modo: «*H* littera proprie continens aspirationem, omnibus vocalibus p̄aeponitur, nulli subjungitur nisi consonantibus ut *Thræsa*, *Thracia* et nominibns *Graecis*⁽¹⁾». Et in alio loco: «*Graccus* et *ortus* sine aspiratione dici debere Varro ait; et *ortum* quidem quod in eo omnia *orientur*, *Graccum* autem a *gerendo*, quod mater ejus duodecim menses utero eum gestavit vel a *gracilitate corporis*, ut quidam volunt. Sed consuetudo et *Gracchos* et *hortos* cum aspiratione usurpavit». ⁽²⁾ Non aliter rem deducimus ex illo: «*Harena* dicitur quod *haereat* et *arena* quod *areat*; *gratus* tamen cum aspiratione sonat.» ⁽³⁾ Quibus omnibus haec addit: «*Sonus* in pronuntiatione invenitur. Similiter adspiratio ad sonum pertinet, tametsi nos *h* quasi litteram ponimus, sed hoc vitium in scripto invenitur cum aut *choronam* pro *corona* aut *umum* pro *humo* legimus.» ⁽⁴⁾

Curiosissimum etiam est hac de re Divi Augustini testimonium quod praetermittere nolo: ⁽⁵⁾ «Vide. Domine, et patienter, ut vides, vide quomodo diligenter obseruent filii hominum pacta litterarum et syllabarum accepta a prioribus locutoribus, et a Te accepta aeterna pacta perpetuae salutis neglegant; ut qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam, sine aspiratione primae syllabae *ominem* dixerit, displiceat magis hominibus quam si contra tua pracepta *hominem* oderit cum sit homo».

(1) *Kell*, I. 19. (2) *Ib.* 82. – (3) *Ib.* 103. – (4) *Ib.* 264. – (5) *Confessionum* I. 18.

Ex Prisciano aspirationem secum ferre *h* deduces. si haec verba ejusdem perpendas: «In *h* quae est nota aspirationis non potest terminari syllaba; invenio tamen in *vah* et *ah* interjectionibus terminalem videri syllabae *h*, sed magis puto, ut superius dictum est, per apocopam hoc solere fieri cum perfecta *vaha* et *aha* sint, vel quod abscondita voce solent interjectiones et hujusmodi voces proferri, ut etiam *ha ha*, *he he.*»⁽¹⁾

Quid cogitet Servius Grammaticus facile deprehendas ex illo: «Per aspirationem quando facimus barbarismum dubitandum est an pronunciationi imputaretur an scripto, quoniam haec aliquando anhelitus et cum linguae est scribendo esse dicitur, cum anhelitu in pronuntiando». ⁽²⁾ Pompejus autem: «Scire debemus quod aspirare non debemus, nisi quando sequitur vocalis; puta *homo*, ideo praepono *h* quia sequitur *o* vocalis. *Hircus*, *huic*, *hujus*, *Hercules* ideo praeponuntur istae aspirationes, quia sequuntur vocales. Nec tamen ubicumque vocalis fuerit ubique aspirare debemus; non recurrat hoc. Non enim ubi vocalis est, necesse habemus semper aspirare; sed ubicumque nos habemus aspirare, necesse est ut sequatur vocalis. Nam ecce *amicus*, *a* vocalis sed tamen non addis aspirationem; *orator*, non addis aspirationem. Ergo non ubicumque vocalis fuerit necesse est ut aspiremus; sed ubicumque est aspiratio, necesse est ut vocalis sequatur.»⁽³⁾ Simili modo loquitur Donatus: «Per aspirationem deprehenditur etiam basbarismus quem quidam scripto, quidam pronunciationi judicant adscribendum propter *h* scilicet quam alii litteram, alii aspirationis notam putant.»⁽⁴⁾ Sergius autem ad Donatum: «Non solum tunc *h* praeponitur ut *hasta* *heros* *hircus* *homo* *humus*.⁽⁵⁾ «Antiquorum consuetudo respicienda est, quibus moris fuit pro hac adspiratione (*h*) litteram dicere *f*; itaque *harenam* justius quis dixerit quoniam apud antiquos *farena* erat, et *hordeum* quia *fordeum* et, sicut supra diximus, *hircos* quoniam *firci* erant et *haedos* quoniam *faedi*.⁽⁶⁾

«*H* sicut in quaestione est littera sit necne, sic numquam dubitatum est secundo loco a quacumque consonante poni debere; quod solus Varro dubitat. Vult enim autoritate sua efficere ut *h* prius ponatur ea littera cui adspirationem confert, et tanto magis hoc tentat persuadere quod vocalibus quoque dicit anteponi, ut *heres* *hircus*. Sed Varronem praeterit consonantem ideo secundo loco *h* recipere, quod non possit ante se adspirationem nisi vocalis habere. Itaque et ante et post *h* littera cuicunque vocali adjungatur, sonabit. Haec

(1) Keil, II, 48. – (2) Ib., IV, 414. – (3) Ib., V, 107. – (4) Ib., VI, 392. – (5) Ib., VI, 476. – (6) Veiles Longus - Keil, VII, 81.

enim natura vocalium est ut ante se aut post se *h* litterae enuntiationem non impedian⁽¹⁾.

«Varroni etiam placet *r* litteram si primo loco ponatur, non adspirari, lector enim ipse, inquit, intelligere debet *Rodum*, tametsi *h* non habet, *Rhodum esse, reforem rhetorem*. Sed eadem observatio non necessaria est, sunt enim verba primo loco *r* litteram habentia non minus Latina, quam Graeca. Itaque merito auferemus adspirationem *Roma regina rapa Rodus*.⁽²⁾ Non aliter sensit Priscianus:⁽³⁾ «Rh ideo non est translatum ab illis (Graecis) in aliam figuram, quod nec sic cohaeret quomodo mutis, nec, si tollatur, minuit significationem. Quamvis enim subtracta aspiratione dicam retor Pyrrus intellectus integer manet...» Calamo otium non dabo quin antea de *ph* quidquam addidero.

Signum illud aspiratum *ph* respondens litterae φ Graecorum in verbis Graeco-latinis, communiter pronuntiatur ut *f* Latinum. Quod quam inepte fiat, meo quidem judicio, subinde probare contendam. Fuerit quisquam qui pro justificanda ea pronunciatione illud adferat Diomedis:⁽⁴⁾ «*F* consonans semivocalis praepositiva. Pro hac in Graecis dumtaxat nominibus *p* et *h* utimur, ut *Phaethon*. Sed contra eam pronunciationem, quae a Diomede probari videtur tria praebeo argumenta. A) Non semper φ Graecum per *ph* Latina vertitur ut videlicet struppus στροφα, tippa τιφη, supparus διφαρος. B) Claris verbis negat illud Priscianus grammaticus:⁽⁵⁾ «Hoc tamen scire debeamus, quod non fixis labris est pronunciatione *f* quomodo *ph*, atque hoc solum interest. C) Si *ph* sonaret ut *f*, mutaretur potestas litterae *p*, quod juxta Priscianus fieri nequit: «Spiritus potestatem litterae non mutat, unde nec vocales, addita aspiratione, aliae fiunt et aliae, ea desumpta⁽⁶⁾».

Conclusio.—Ex his omnibus testimoniis haec deducenda videntur: a) *H* est vere littera consonans; b) in oratione prosa aspiratur et ante vocales et post consonantes; c) intra versum communiter nihil valet nisi ex licentia poëtica cum positionem facit et synaloephām aut ecthlipsim impedit; d) litterae *r* in prima syllaba (*Rhodus, rhetor*) nihil ad pronunciationem addit; e) ceteris consonantibus *c p t* communem subtilitatem admit et crassitudinem tribuit; f) ac proinde *p* non mutat in *f* sonum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) *Cassiodorus* - Keil. VI, 152 —(2) *Ib.* VII, 154 —(3) Keil. II, 19. —(4) Keil. I, 424. —(5) *Ib.* II, 11-12.
—(6) *Id ib.*

PLANITIES GLACIATA

*Quinte, veni soliis ferratis utere mecum
 Progenuit melius nil glacialis biems.
 Frigida tempestas pueros nunc allicit omnes
 Ut petat hibernas quisque paludis aquas.
 Plena palus plenique lacus sunt flore juventae
 Regnat ubique jocus, nec dolor esse potest.
 Ecce volant per aquas fluviales agmina laeta
 Et manibus junctis frater it atque soror!
 Hic varias glacie describit mille figuras
 Ille trahit circos, quos stupet omnis homo.
 Hi volitant celeri gressu per aperta locorum
 Illi ceu timidus litora nauta premunt.
 Hi glacie condunt nivibusque palustribus arcem,
 Occupat illa manus bellica Martis opus.
 Aëra perstrepitant globuli ceu tela nivosi
 Et servare caput res pueris gravis est.
 Hic cadit ecce puer, male qui consuetus eundo est
 Qui melius didicit, fert cito frater opem.
 Ille vebit matrem curruli sede sendentem,
 Quam circumsiliunt pignora cara tori.
 Undique laetitiae comparent prospera signa;
 Purpureisque genis stat vigor indomitus
 Quodsi vis biemis dulcedine, Quinte, teneri,
 Jam venies mecum! Stagna lacusque vocant.*

Fridericus C. HULTGREN

Cursus Gymnasticus^(*)

QUINTI HORATII FLACCI CARMEN SAECULARRE (*sequitur*)

*Producas subolem: ut suboles partu
edita laeta capiat incrementa. Unde nul-
la in V stropha inest tautologia ut voluit
Peerlapius, (1) nihil aliud hoc signifi-*

*care putans quam in superlosi stropha
verba «aperire partus», cum e contra idem
sit ac illud Od. II, 13 produxit i. e. cura-
vit ut cresceres atque adolesceres*

*Ille et nefasto te posuit die,
quicunque primum, et sacrilega manu
produxit...*

*Ordo est: O diva, precamur ut produ-
cas subolem Romanam et prosperes decreta
patrum super jugandis feminis et super le-
ge marija feraci novae prolis. — lege mar-
ita: Caesar post bellum legem tulit ne
quis aut caelebs esset aut vidua nubilis,
quae possit jactura juvenum reparari
qua bellis civilibus contingere. Nam
prope octoginta milia armatorum inter-
ierant. (2) Quae lex de maritandis ordi-
nibus seu Julia dicta est. Sed Caesar non
primus hanc legem sanxit, sed confir-
mavit et emendavit, nam anno jam 624
ab U. C. Metellus Numidius censor sta-
tuit, ut tradit Gellius, (3) et Cicero me-
morat in libro I. De legibus, 3: «Caelibes
esse prohibento». Haec lex Julia de ma-
ritandis ordinibus non confundenda cum
altera lege nonnunquam ab auctoribus
Julia quoque appellata quam Augustus
senior a ab U. C. 758, quinquecento ante-
quam moreretur, M. Papio et Q. Poppaeo
Coss., perferrit curavit.*

*Strophae VI ordo est: Precamur ut
certus (annorum) orbis deciens per annos
undenos facta referat cantus et ludos fre-
quentes per tres dies claros totidemque noc-
tes. — certus undenos: h. e. saeculum,
quod *juxta Censorinum* (4) definitur:
«spatium vitae humanae longissimum partu
et morte definitum». Romanorum saecula
saecularibus ludis distinguunt solent, sed
cum temporum intervalla, quibus ludi
isti referri debent sint incerta, diversa
est etiam apud auctores saeculorum
cumputatio; itaque Varro, De scaenicis
ori ginibus I et Livius CXXXVI, centesi-*

*mo quoque anno saeculares ludos cele-
brandos autumant, contraque Horatius
noster cum Zosimo decimo et centesimo
quoque anno reponunt, quam senten-
tiā Commentaria ludorum Saec. con-
firmant: «Sacrificium saeculare ludosque
qui centesimo et decimo anno recurrunt» (5)
De hac re loculenter disserit E. Deihl,
«Das saeculum seine riten und gebete» in
commentario Rheinisches Museum für
Philologie, Frankfurt am Main 1934 pp.
254 et sqtes. — ter die claro: Ludi saecu-
lares tribus diebus totidemque noctibus
celebrandi mos fuit, a nocte videlicet ult-
ima m. Maji ad tertium diem Junii, sac-
rificiis nocturnis et diurnis, ludis scaen-
icis, circensibus, honoratiis. Sacrificia
nocturna Augustus in campo ad Tiberim
Archivo ritu h. e. aperto capite offerebat
hac ratione: prima nocte Moeris seu Par-
cis agnellas novem novemque furvas ca-
preolas; altera nocte (1/2) Ilithyiae libas
novem, popanas novem, novemque ptho-
es; tertia nocte (2/3) Terrae matri suem
plenam. Diurna sacrorum sollemnia
ita ordinata erant, ut primo die in Cap-
itolio Jovi D. O. M. bovem proprium seu
perfectum Imperator litaret, altero die in
ipso Capitolio Junoni reginae bovem fe-
minam, tertio die in Palatio (eodemque
modo in Capitolio) Apollini et Dianaec
libas, popanas, pthoes novem numero.
Venatione quadam magna, paucis post
diebus habita, saeculares ludi claudeban-
tur (6) — frequentes=muy concurredos;
tanta enim erat Romae populorum fre-
quentia ludis saecularibus perdurantibus*

(*) Conf. num sup p 65.

(1) Cf Stelzer, 1. c —(2) Cf. Suet, Oct. Aug. Aug. c. XXXIV. — (3) Noct. Att. I. 6. — (4) De die nat 17. —

(5) C I L, 32, 323, v. 25 —(6) C. I. L. 32, 323. Commentaria Lud. Saec.

ut verba Ovidii «orbis in Urbe fuit» verissima fierent. Consulto autem adjectivum *frequentes* in extrema stropha collocavit. Illas enim voces, in quibus ma-

VII. PUERI

Vosque, veraces cecinesse Parcae,
quod semel dictum est stabilisque rerum
terminus servet, bona jam peractis
jungite fata.

*Por vos, ob Parcas, en cantar veraces
lo prefijado, el immutable orden,
a los cumplidos venturosos bados
nuevos se añadan.*

Vosque... Parcae: Precibus jam in Apollinem et Dianam rite peractis poeta novas subjungit ad Parcas et Tellurem, sicut versus Sibyllini praescripserant. Parcae tres erant sorores filiae Erebi et Noctis, Clotho Lachesis et Atropos dictae. Eae dicuntur etiam Fata et praeesse vitae hominum et unicuique nascenti sortem suam canere. Clotho enim fila vitae net, Atropos eadem fila caedit, Lachesis vero suam cuique sortem et

*His ergo nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi;* (2)

non tantum precatur poeta ut servent hunc terminum, sed bona fata peractis adjungant —*veraces cecinisse: infinitivus pro gerundio ponitur = veraces in canendo. Exempla similia adfert Cl. Llobera* (3); *audax omnia perpeti = ad omnia perpetienda* (4); *non mihi sunt vires inimicos pellere tectis* (5); *Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo et cantare pares et respondere parati* (6). Sed praeter hanc poeticam loquendi formam, adest etiam praeteriti infinitivi usurpatio, modo quo usurpatur infinitivum aoristum, quod verbo quodam praemesso saepius accedit quam praemesso adjectivo. Ex. gr. *Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, ve-*

xima vis posita est aut primum aut postremum enuntiationis locum tenere consuetum est.

VIII. PUELLAE

Fertilis frugum pecorisque tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
et Jovis aurae.

*Fértil en frutos y en ganado el suelo
corone a Ceres con espigas de oro,
crien cosechas saludables aguas
y auras suaves.*

vivendi genus statuit. Itaque prima initia preeest, altera fini, tertia cursui. Parcae civitatibus et populis preeesse quoque credebantur, qua ratione Horatius in hoc S. C. confisus invocat, easque *veraces* appellat, h. e. *non mendaces* (1), quippe quas in suis decretis et effatis falli nunquam contigit. Cum vero Romano populo stabilis rerum terminus sit praenuntiatus juxta illud Vergili

tas cur? (7); Si curat cor spectantis telligisse querela (8). Parcas poeta veraces dicit quia earum auxilium implorat; et contra mos est inter poetas despecta epitheta eiusdem tribuere, videlicet: immanes, saevae, avidae, dirae, crudeles, infestae, invisae, iniquae, mutae, nocentes.

*Fertilis Tellus: dea terrae, quam cum Cerere unum et idem aliqui faciunt; sed his Horatius non favet; nam precatur ut Tellus (*subjectum agens*) donet Cererem (*subj. patiens*) spicea corona. Donare construitur generatim cum accusativo personae et ablativo rei, ut in hoc exemplo Horatiano, vel cum dativo personae et accusativo rei tanquam verba dandi,*

(1) Cf. II, Od. 16.37 — (2) Aen I, 278-279 — (3) Grammat. Classicae Latinitatis, 84. — (4) Hor. Od. I, 3, 25 — (5) Ov. Her. I, 103 — (6) Verg Ec 7, 4-5 — (7) Hor. Sat. II, 3, 187. — (8) Ar. Poet. 98 Cf. etiam Od. III, 4, 51; Ep. I, 17, 5; II, 2, 109



e. c.: *Non pauca suis adjutoribus large est fuseque donabat (1).* Forcellinius tamen adfert etiam exempla cum accusativo personae et genitivo rei atque cum accusativo personae et rei. — Cererem: Etymon varie proponitur. Placet Ciceronis

IX. PUERI

*Condito mitis placidusque telo
suplices audi pueros, Apollo;*

*Blando y risueño con la vira oculta
oye a los niños en su ruego, Apolo;*

Nona strophe octavae mire cohaeret epithetis condito telo et siderum regina bicornis. Namque telo ex pharetra de prompto Phoebus seu Apollo pestem ac calamitates, in primis pecori, immittere ferebatur (3); Luna autem lucido suo si-

X. PUERI

*Roma si vestrum est opus Iliaeque
litus Etruscum tenuere turmae,
jussa pars mutare Lares et urbem
sospite cursu,*

*Si Roma es vuestra y muchedumbres Ilias
el pie pusieron en marina Etrusca,
mudar de casa y ciudad mandadas,
con feliz curso,*

XII.

*di, probos mores docili juventae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
et decus omne.*

*dad vos, ob dioses, probidad al dócil
joven, al viejo quietud tranquila,
de Roma al pueblo con hacienda y prole
dad toda gloria.*

proferre judicium (2); *Est a gerendis frugibus ceres, lanquam Geres, casuque prima littera itidem immutata, ut a Graecis, nam ab illis quoque Δημήτηρ quasi Ζημήτηρ nominata est.* Proprie Ceres dea frumenti.

PUELLAE

*siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.*

*Luna bicorne, de los astros reina,
oye a las niñas.*

dere alternisque cornuum vicibus ad terrae fertilitatem caelique temperiem ac salubritatem plurimum valere credebat. Ceterum bicornis Luna dicitur, quia, teste Juventio, Luna crescente, ludi saeculares celebrabantur.

XI. PUELLAE

*cui per ardentem sine fraude Trojam
castus Aeneas patriae superstes
liberum munivit iter, datus
plura reliktis:*

*y a ellas sin riesgo por la ardiente Troya
el casto Eneas de su patria salvo
libre camino aseguró y dió luego
mayor grandeza:*

XIII.

*Quaeque vos bobus veneratur albis
clarus Anchises Venerisque sanguis
impetrat, bellante prior, jacentem
lenis in hostem*

*Y el que os venera con novillos blancos,
noble de Anquises y de Venus sangre,
sea mayor que el enemigo, y blando
sea al vencido.*

(1) Cic. S. Ros. 8, 23 — (2) II Nat. Deorum 26, 67. — (3) Homer. II, I. 50.

Roma si vestrum...: Ordo grammaticalis est: «Dī, si Roma est opus vestrum parsque Iliae turmae, jussa (a diis) mutare lares et urbem, tenuere litus Etruscum sospite cursu, cui= (et huic parti Iliae turmae) castus Aeneas superstes patriae munivit sine fraude iter liberum per ardente Trojam, datus = (ut daret) plura relictis = (quām relicta); date, dī, probos mores docilis juventae...» — Roma opus deorum dicitur quorum ius suu Aeneas, Romanorum auctor, in Ita-

liam pervenit, ut tradunt Vergilius et Livius. — *Litus Etruscum: Tiberi in Etruria orienti, eidem Tuscus nomen quoque est, quod litora dedit. — jussa pars: non sine causa «pars», nam cum Aenea non omnes in Latium pervenerunt; alii enim in Illiriam, Venetiam, Campaniam, Sardiniam penetrarunt: pars «jussa», quia dii jusserant solum vertere et Trojam relinquere. — sospite cursu: prospera et secunda navigatione. Quod et Sibylla praenuntiaverat:*

...cursusque dabit venerata se:undos (1)

*Cave tamen credas Aeneam sine labore in Italiam pervenisse: nam multis adversisque casibus Trojanorum peregratio abundavit ut patet in Vergiliiano poēmate. — per ardente sine fraude Trojam: Horatius noverat traditionem veterem de Trojae vastatione atque incendio: Aeneida quoque absque dubio noverat ut ex his adjunctis liquet dignoscere. «Sine fraude» i: e. sine noxa, sine damno flammae. — *Castus Aeneas: h. e. a flagitio et scelere purus: non incestus adulter ut Paris, non perjurus ut Priamus.* — *datus plura relictis: reliquerant nempe Trojam florentem civitatem, sed Aeneas, deorum praesidio, parti Trojanorum secum peregrinantium Romam datus erat potiorem civitatem et caput mundi.* — *remque prolemque et decus omne: opes, genus, gloriam.* — *quaeque: non desunt editiones quae «quique» pro «quaeque» adferant, easque secuti Llobera et Menéndez Pelayo (2) interpres dixerunt:**

*Trojamque et Anchisen et almae
progentem Veneris canemus. (4)*

— lenis in hostem: h. e. Augustus prior (clarior) se ipso bellante imperet lenis in

«Y el que os venera...» — veneratur: venerari cum duplice accusativo, rei videlicet personae, interdum occurrit, et tunc idem est ac rogare, impetrari. Unde «quaeque (acc. rei) vos (acc. personae) veneratur bobus albis clarus sanguis Anchisae Venerisque» hac ratione interpretandum hispanice videtur: «el ilustre vástago de Anquises y Venus alcance lo que os pide con (el sacrificio de) blancos bueyes... Exemplum simile Caecina ad Cic. adfert: «qui multa deos venerati sunt contra ejus salutem» (3). — Anchisae Venerisque sanguis: Hoc ad Augustum pertinet, qui a Julio Cesare; Julius vero a Iulo, filio Aeneae, originem ducere dicebatur. Aeneas autem, Iuli pater, Anchisae Venerisque filius reputatus est. Qua ratione Veneri Genetrici templum Romae constitutum ac consecratum fuit. In quarto odarum libro eundem cogitatum exprimit Venusinus:

hostem jacentem. Simili modo dixerat Mantuanus (5):

*Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hae tibi erunt artes: pacisque imponere morem
Parcere subjectis et debellare superbos.*

(1) Aen III, 461. — (2) Odas de Horacio traducidas e imitadas por los ingenios españoles. Barcelona, 1882; Canto Secular p. 309. — (3) Caec, ad Cic. 6 Fam. 7. — (4) Od. lib. IV, 15. 30 — (5) Aen, VI. 852-855. —

XIV. PUERI

Jam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures,
jam Scythaes responsa petunt superbi
nuper et Indi.

*Ya en mar y tierra las pujantes buestes,
el medo teme y la segur albana,
ya el cita, el indo, poco ha soberbios
órdenes piden*

Albanas secures: Albanas pro Romanas, nam Roma Albanorum veluti colonia fuerat. Alba, Romae parens, caput fuit Latii vetusti primum ab Ascanio, cui cognomen Iulus. Aeneae filio condita (1) a qua civitate traditus est mos ut prius rei virgis cederentur quam securi

*Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque et Indus, te profugus Scytes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae (2)*

Haec omnia non sine ratione memorat Horatius Augusti adulator. Augustus enim, ait Suetonius, domuit partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illirico omni: item Rhaetiam et Vindelicos ac Salassos, gentes Inalpinas. Coercuit et Dacorum incursiones, Germanosque ultra Albim fluvium submovit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit... Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam et

XV. PUELLAE

Jam fides et pax et honos pudorque
priscus et neglecta redire virtus
audet, adparetque beata pleno
copia cornu

*Ya la fe antigua y el pudor y la honra,
la paz amada y la virtud pospuesta
osan volver y la abundancia fértil
llena su cuerno.*

ferrentur, sicut Messenius tradit Horatii commentator. — *Medus...* *Scythaes nuper et Indi:* Medus (Parthus) qui erat in Asia, et Persidem occuparat. Scytae sunt septentrionalis Asiae populi. Alias idem poëta cecinit:

Scythaes pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultiro per legatos petendam. (3) — *cornu copiae:* metaphora sicut apud Haebreos, et apud Graecos et Romanos usitatissima, cuius haec est fabula. Juppiter a Nymphis nutritus est lacte cuiusdam caprae, Amaltheae dictae, quas ut remuneraretur placuit Jovi ut ex illius caprae curnu refecto, omnes fruges et fructus in perpetuum manerent. Hinc cornu copiae vocatum est.

PUERI ET PUELLAE SIMUL

XVI.

Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camoenis,
qui salutari levat arte fessos
corporis artus,

XVII.

si Palatinas videt aequus aras,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
prorogat aevum.

(1) Aen. I, 266-274. — (2) Od. IV, 14; vv. 41 et sqq. cfr. etiam Od. IV, 5, 25-28. — (3) Suet. lib. II. D. Oct. C. Augustus, 21.

*Gallardo Febo con el arco hermoso,
augur y acepto a las Camenas nueve,
que alivio dulce a los exhaustos miembros
con su arte presta,*

*si mira grato el palatino alcázar,
si grato a Roma y al diñoso Lacio
de lustro en lustro los prospere y ame
eternamente.*

XVIII.

*Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
quindecim Diana preces virorum
curet et votis puerorum amicas
adplacet aures.*

*Diana acoja de los quince el ruego
buena las preces de los niños oiga
la que las cumbres Aventinas tiene
y Algido mora.*

XIX.

*Haec Jovem sentire deosque cunctos,
spem bonam certamque domum reporto
doctus et Phoebi chorus et Diana
dicere laudes.*

*De que esto Jove con los dioses quiere
yo llevo a casa la esperanza firme,
llévala el coro de Diana y Febo
docto en los cantos.*

*Augur... Phoebus: Phoebo seu Apollini quattuor artes tribuebantur quas Horatius his quattuor versibus complectitur: divinatio seu augurium, sagittandi perititia, musices ac poësis, demum ars salutaris seu medicina — si Palatinas: «sí». non est particula dubitativa, sed illativa; eandem vim habet ac conjunctiones nam, etenim. Simile occurrit exemplum in strophe decima: *Roma si vestrum est opus...*» — Aras: vel arcus ut aliae editiones volunt, quibus Llobera usus est; sed ego cum Vollmet «aras» malo, nam in monte Palatino templum Apollini dicerat Augustus Imperator. — lustrum: plurimum annorum spatium significat, teste Censorino (1): «Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant, ita quidem a Servio Tullio institutum, ut quinto quoque anno censu civium habitu lustrum conderetur;*

sed non ita a posteris servatum .. Rursus tamen annus idem magnus per Capitolinos agones coepitus est diligentius servari». — aevum: est temporis perpetuitas. — prorrogat: alii prorroget. — Algidum: mons non procul a Roma situs in quo, sicut in Aventino, aediculae Dianae sacrae dicatae erant (2). — quindecim virorum: Duumviri initio tantum fure ab ipso Tarquinio Superbo constituti quibus libros oraculorum Sibyllae custodiendos tradidit et interpretandos; postea decemviri, et a Sulla Felici dictatore quindecimviri fuerunt. — doctus chorus: ordo est: «Chorus doctus dicere (in discendo) laudes Phoebi et Diana»; unde non recte interpretatur Llobera cum verba «Phoebi et Diana» non ad chorum, sed ad laudes refert.

JOSEPHUS M. JIMÉNEZ. C. M. F.

(1) *De die natali*, XVIII, circa finem — (2) *Od. I. 21, 6,*

De artificiosae harmoniae principio in arte poëtica Horatii

I

Bis millesimum Horatianae nativitatis aniversarium non puto Hispanis allaturum magis splendidam humaniorum studiorum florationem quam Vergilianus attulit bis millenarius. Dolendum quidem, si res ita fiat, quod saecularis haec commemoratio tam sit humilis quam illa.

Nihil de illo epicorum Latinorum principe remanet omnino, eo anno Vergiliano editum, ne opus quidem simile «Virgilio en España» quod ex paritate quadam postulat vetus ille liber —neque obsoletus— «Horacio en España» quem scripsit immortali vir memoria Menéndez Pelayo.⁽¹⁾ Ille quidem, Horatianus noster exstitit postremus, qui Horatium conciens, poëtici instinctus attigit fastigium in nobili poëmate «Epistola a Horacio»:

«Yo guardo con amor un libro viejo...»

In opere omnium clarissimo⁽²⁾ «De idearum aesteticarum historia» cuius finem, sicut etiam aliorum operum ejus, claudere necesse est funerea hac inscriptione «manet opus morte interruptum», paginas studio dedit idearum Horatii aesteticarum quae, ut ego opinor, natum prae se ferunt sigillum tumultuariae celeritatis qua ingenium illud criticum interdum conscribebat. Immensus præ oculis ejus patebat rerum prospctus, cuius comprehensionis studium quadam quasi febri mentem et calatum afficie-

bat. Quod gessit, titanis opus dices; quod autem mente concepit, opus erat compluribus generationibus perficendum.

Internam poëmatis Horationi unitatem non vidit Menéndez Pelayo eo quod non agnoverat originem Aristotelicam-Alexandrinam doctrinæ quam Epistola ad Pisones tradit. «Puerile fuit —ait M. Pelayo— quod in ea nonnulli ordinem desiderarent doctrinalem qui in compositionem poëticam minime cadit atque ingenii Horatiani circuitionibus liberis et errantibus colluctatur». ⁽³⁾

Quam quidem unitatem cum non agnoscat magnus ille censor, doctrinam Horatianam exponit «Artis poëticas» vi-ginti octo rubricis «nullo alio ordine quam tribuere iis voluit magnus poëta». Atque ita tandem claudit: «Ea est jurium atque officiorum tabula vere mirabilis, cuius juventam nec saccula decem et novem potuerunt labefactare, hodieque eodem virore gaudet atque tempore quo fuit promulgata». Nostri qualiscumque laboris ea Magistri verba lemma ponantur, dum in apparente præceptorum Horatianorum confusione legem detego quae eis unitatem præbet et plus quam aeneam perennitatem. Talis est lex harmoniae in arte classicorum vere anima; vel ut ipse Menéndez P. concinit:

(1) Scimus autem de hoc argomento «Virgilio en España» quemdam ex ejus discipulis virum placiarum negotium habere.—

(2) *Ideas Escéticas*, t. I.—(3) *Ib. pag. 182.*

ne quid nimis emicat illud,
Sobrietas aeternal! tui quae numinis exstat
Arcanum vocum concisio. Forte sonoris
Vis animi numeris ruit, ut torrentis aquarum
Lapsus; et harmonica editos trascendere lege
Fines fas numquam, Grajis hanc quippe novena
Mnemosynes proles sancivit».⁽¹⁾

Talia fuit vates, talis et magister.
 Epistola ad Pisones non aliunde ortum
 habere potuit quam ex mente Helenica
 quae carminum epodumque secuta est
 modos. Salutem igitur Horatio tribuamus
 harmoniae principi simul et magistro.

Nihil utique novum de re dicere
 affectabo, quod absit, de libro qui a
 prima illa aetate qua editus est in lucem
 abundat comentariis. Quod in versio-
 nibus Horatianis perennius est litteris-
 que pulcris atque praesentibus aptius,
 id tantum subducere conabor.

II

Oportet autem ante omnia decernere
 litterariae doctrinae «Epistulae ad Pisones» Aristotelicam filiationem. Vulgo ad-
 ducentur apud omnes verba Porphy-
 rionis, primi Horatii interpretis, quibus
 veluti filo quodam conductore interna
 unitas, ordo poesis Horatiana, doctri-
 nalis compago manifestari potuit: «Con-
 gessit praecepta Neoptolemi, τοῦ Παπιανοῦ
 de arte poetica, non quidem omnia,
 sed eminentissima».

Quis vero fuerit Neoptolemus ille
 cuius praecepta in aureos Horatii modu-
 los traducta sunt? Dum res fuit ignota,
 nulla primi scholiae verbis data est
 fides. At praeter spem fragmenta cuius-
 dem deperditi operis Neoptolemi dete-
 guntur in libro V inclusa Ἡερὶ ποιημάτων

Philosophus hic epicureus laudatum li-
 brum Neoptolemi, Grammatici et poetae
 refert, qui fuit initio saeculi III vel sub
 finem saeculi IV ante Chr. N.

Intererit multum igitur conceptus
 litterarios Neoptolemi reficere, qui fons
 existit Horatii et quidem directus. Age
 vero, Neoptolemus vir peripateticus fuit
 ex schola Alexandrina, et praeterea com-
 pertum est et philosophos et rhetores et
 grammaticos, quod simul erant universi
 sicut eorum magister, dogmata Aristote-
 lis atque fundamenta fideliter retinuisse.
 Itaque statuere possumus doctrinam
 et litteras Epistulae ad Pisones, quae in
 historia litterarum adeo sublimia obti-
 nuit fata, per scholam Alexandrinam
 cum περὶ ποιητικῆς Stagiritae connekti.⁽²⁾

DANIEL RUIZ, C. M. F.

Professor Litterarum Latinarum in Nationali Instituto Bilbilitano

(sequar)

(1) *Víñas. Versiones Latinas*, 77. — *Menéndez Pelayo*, *Epist. a Horacio*:

El «ne quid nimis» [sobriedad eterno]
 La concisión, secreto de tu numero.
 En torrentes de números sonoros
 despáñase tal vez tu fantasía;
 mas nunca pasa el término prescrito
 por la harmónica ley que a los helenos
 las hijas de Mnemosine enseñaron.

(2) *Rostagni*, in re philologica vir clarissimus laudem est tandem adsecutus ostendendae omni perspicuitate filiationis Ale-
 xandrinæ-Aristotelicæ Epistulae Horatianæ. Summarum totius questionis satis claram videre licet apud *Camelli-Orazio, Arte poe-
 tica*, con introduzione e note di Giuseppe Camelli — Firenze, 1933.



Missiones Minime Neglegendae

LUDI PERSONAE

P. FLORENTIUS	MISSIONARIUS
JOSEPHUS	ADULESCENS
CLAUDIUS	
HENRICUS	
LUDOVICUS	ADULESCENTES

Argumentum. — *Josephus, Florenti verbis inflammatus, in missiones contendere cupit. Henricus autem, ubi de ejus vocatione fit certior, missiones impugnat; sed argumenta Claudio et Ludovicus confringunt.*

J. — (solus) Nonnumquam mihi vocem Domini exaudire videbar, cum Carolinas vehementer optabam. Nunc autem, de rebus istis cum Patre quondam missionario conlocutus, non dubito quin Deus me ad estas missiones advocaverit. Nec timeo, quod ajunt, ne mea valetudo detrimentum patiatur. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? et «qui alios ad justitiam erudiunt fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates» (Dan. 12, 3). O praeclarum diem, cum ad Insulas proficiscar, ut mea quidem opera indigenas illos adjuvem!

FL. — (ingrediens) Gaudeo sane quod te invenerim, ut tandem rus contendere possimus. Litteras modo Xaverii legebam, multas ad res perutiles. Quas lege, quaeso, studiose, ut facias. Quam copiosa in his signa verae caritatis invenies! Suorum fratrum recordatione jucundissime fruebatur; hac de causa, ut incipiebat scribere, omnino desinere non poterat; Romam petere cupiebat, ut S. Ignatium amantissime completeretur. Sed quid plura? Vita enim illius viri omnis, amoris plena est

J. — Atqui ego libenter lectito; recordor enim tantam in Xaverio fuisse caritatem, ut nomina uniuscujusque fratrum in pectore fixa portaret; quin

etiam, ad fratres genu flexus saepissime scribebat et in lacrimans omnia, quae de illis altissime sentiebat, magno solacio narrabat.

FL. — At, ut jam caritatem praetermittamus, nonne ardebas, cum excursiones illas apostolicas lectitabas?

J. — Ardebam sane et lectio illa me ad imitationem inflammabat. Plane miratus sum quod, tam paucis annis, tot tantasque gentes ad Christum trahere potuisset.

FL. — Est, ut dicis, frater; sed attende, ad haec perficienda, quae dixisti, tantos labores toleravisse, ut vere eum in numero Martyrum habere possimus.

J. — Gaudeo quod sermo in martyrium inciderit; nam in factis martyrum legendis sic accendor, ut omnes molestiae omniaque pericula magna cum laetitia subeunda mihi esse videantur Tu autem, quid de martyrio opinaris?

FL. — Esse profecto aliquid natura pulcrum atque praeclarum. quod, spreta et contempta voluptate, optimi quique sequantur.

H. ET CL — (ingredientes) Salve Pater; salve Josephe.

FL. ET J. — Salvete, optimi adulescentes.

CL. — Vestram vocem audivimus sermonique deesse noluimus.

H. — Quid agitabatis?

- FL.—De missionibus earumque molestiis ac solaciis.
- H.—Saepenumero admirari soleo, quod etiamnunc, aetate provectus, Carolinarum desiderio movearis, ut pergendi facultatem etiam atque etiam exores.
- FL.—Rem haud sane difficilem admirari videris; mihi enim gratae jucundaeque nec intolerabiles missiones videntur.
- CL.—Cur igitur tam cito ex Carolinis remigrasti? Num requiescendi causa? num laboris fugiendi?
- FL.—Minime vero; gravi morbo adflicatus, recreaturus discessi. Et nunc efferor studio incolas, quibuscum diu vixi, videndi; nec eos solum convenire aveo, sed illis etiam usque ad extremum spiritum opitulari.
- J.—Utinam et mihi Deus hujusmodi felicitatem reservet, ut Sancti Xaverii vestigia persequi possim!
- H.—Num tu Carolinas insulas etiam exoptas?
- J.—Heri cum Patre Florentio sum conlocutus.
- FL.—Recte tu quidem; sed urget ut deambulatum examus de rebus nostris tractaturi.
- H.—Valete ergo et (*ad P. Flor.*) Deus quod tantopere desideras concedat; (*ad Jos.*) tibique, quem haec ipsa studiosissime adeptentem video.
- FL ET JOS.—(*exeuntes*) Valete.
- CL. ET H.—Valete.
- CL.—Mirandus sane est Josephus, quod tam vehementer Carolinas ire concupiscat.
- H.—Equidem non miror; misereor magis.
- CL.—Ego vero, cur ita tibi videatur, plane non intellego
- H.—Missiones mea sententia sunt prorsus neglegendae.
- CL. Quare autem ita statuis?
- H.—Eo in primis quod eas existimo ab optimis operibus abstrahere.
- CL.—Quibus? Uberius ista persequere.
- H.—Geram tibi morem, atque ea, quae vis, quantum potero explicabo. Nonne nobis iis officiis purfugendum est, quibus magis Deo gloriam tribuamus?
- CL.—Plane adsentior.
- H.—Jam vero, hic in Hispania, ejusmodi officia frequentiora sunt quam quae in missionibus inveniri possint.
- CL.—Minime.
- H.—Tunc dic, quae so, in primis, quibus officiis Deum maxime laudari putas?
- CL.—His, quibus sit ut peccatores a culpa abhorreant, suaque mandata faciant.
- H.—Ita prorsus existimo.
- CL.—Id ergo, quod adserebas concidit.
- H.—Nequaquam; nam, cum in Hispania hujusmodi conversiones frequentiores eveniant, neglegamus potius missiones, quo majorem hominum numerum Deo consequamur.
- CL.—Sed numquam ulli persuadere poteris conversiones in Hispania frequentiores esse.
- H.—Quid? Nonne saepissime usuvenit ut missionarii tres vel quatuor annos laborantes, fructum conlegerint nullum?
- CL.—Recte tu quidem; hoc autem fere operariorum inopia evenit. Quod si ex iis, qui aliis muneribus funguntur, aliqui in missiones perrexerint, procul dubio fructus uberior perciperetur; «messis enim multa».
- H.—Id equidem video, neque tamen sati mihi fecisti; nam fortasse dixerit quispiam in quibusdam missionibus conversiones paucas admodum esse, tum quia eam incolae recusare videntur, tum quia sunt regiones inanissimae.
- CL.—Haec minime obstant; evangelium namque iussit Christus ubique gentium praedicari; atque, hoc loco, recordare Sanctum Iacobum, qui in Hispania septem omnino convertisse dicitur; at vero sacrificio et oratione Deum placare studebat.

(seguar)

Bibliographia

Jacques Maritain. — *Éléments de philosophie.* — Pierre Téqui, Paris, 1933.

Auctor in campo Philosophiae notissimus, perplures annos ad ejusmodi studia deditus, magnos sibi triumphos comparavit scriptis, inter quae illud eminet quod hodie recensemus, in quo velut ad systema reduxit omnes suas philosophicas cognitiones. Finis quem in eo sibi proposuit Auctor, est doctrinam Aristotelis et Divi Thomae exponere. ad judicandum lumine duorum humanitatis Magistrorum. de theoris quae saeculorum decursu sibi invicem successerunt, et de praecipuis quaestionibus hodiernae Philosophiae. Materia de qua in opere disputatur antiqua quidem est, methodus autem, claritas et solutiones vere hodiernae. Juxta Auctoris consilium, Opus septem fasciculis seu voluminibus constabit, ex quibus duos sequentes acceptimus lectoribus que offerimus.

I *Introduction generale à la Philosophie:* In duas dividitur partes, priam quae Philosophiae naturam, in eaque notiones historicas, conclusiones quoad realem notionem Philosophiae ejusque ad Scientias particulares relationem inquirit; alteram quae divisionem pertractat in eaque partes Philosophiae, praecipua problemata quoad Logicam, Philosophiam speculativam et practicam.

II *La Philosophie de la Nature:* Prachabita cognitione modernae interpretationis poëticæ et scientificæ Universi, studet Auctor interpretationi philosophicae, mirifice exponens Physicæ Philosophicae respectum ad communem experientiam, ad Scientiam et Metaphysicam. Vere suus adparet in expositione novarum theoriarum ad istiusmodi problematum solutionem, mira conceptuum præcisione. — Lectoribus nostris suademos ut talia sibi Opera adquirant quae discipulis et Professoribus magnam afferent utilitatem.

Dres. Wolfschläger et Koch. — *Augustini Confessiones.* — Aschendorffs Klassiker. — Münster, 1931.

Duo pulca et parva volumina, ut sunt omnia notissimi Editoris, pro Scholis germanicis. In primo continentur Textus juxta Editionem Vindobonensem (*Corpus Script. Eccles. Latin.*, 1896) et Teubnerianam (1898) cum doctissimis Prolegominis ex Vita et Scriptis Sancti Doctoris et recenti litteratura. In altero continentur commentaria exegetica et historica ad usum alumnorum.

Dorsch, Dr. Aemil, S. J. — *Institutiones Theologiae Fundamentalis.* — Vol. I, *De Religione Revelata*, XVI-829 pg.; Vol. II, *De Ecclesia Christi*, XV-774; Vol. III, *De Inspiratione S. Scripturae*, X-450. — Felizian Rauch, Innsbruck

Opus quod hodie lectoribus offerimus, magno pollet merito intrinseco. Eiusdem Auctor, eximius Professor Theologiae per plures annos in Universitate Oenipontana, Scientiam Theologicam ditavit suo pioso cognitionum thesauro, multorum annorum studio et labore adquisito. Noluit quidem illustris Professor novas lectoribus aperire vias sive methodos apologeticas, vel quaestiones solvere hucusque inauditas. Haec omnia ad ejus finem minus utilia videbantur: hic finis nihil aliud erat nisi in opere completo et ordinato tradere quidquid boni elaboratum fuerat in hac Scientia, quae nostris temporibus adeo colitur, ut alumni Universitatum Catholicarum, Seminariorum et Collegiorum Religiosorum perfectam in ea erudititionem adipiscantur. Integrum opus perlustravimus, eoque admodum usi sumus, et plane perspersimus Auctorem optatam metam attigisse. Velut in unicam facem collegit Doctorum Ecclesiastico-rum lumina, nec Modernorum Scriptorum addita contempsit, summaque prae-

cione, et mira profunditate omnes quaestiones pertractat. Datorum historiorum et scientificorum abundantiam cum claritate et ordine paedagogico perfecte sociavit, ut pars est in his operibus. Impressio nitida et typorum varietate abundans, operis exitum auxit. — Notatum dignum, idque in nostris manualibus desideratur, Auctorem in longo tractatu de « Religione in genere » disserere, in eoque omnes conclusiones congerere ad quas scientia Religionum nostris diebus pervenit. — Professoribus et alumnis opus commendamus, dum ejusdem Auctori et Editori gratulamur.

JULIUS LEACH^{#, C. M. F.}

G. Cayron, B. Contoux et A. Prévot.

— Le Latin en 6.e — Méthode d'Humanités Latines; enseignement secondaire; garçons et jeunes filles. — Un volum en 16 x 19, 5 cartonné, pag. 552-100 Photographies, 16 cartes et Plans; Grammaire, Vocabulaire, Exercices, Initiation à la vie Romaine. — Epitome Historiae Graecae, Choix de textes faciles, Lexique Français-Latin et Latin-Français. — Librairie Armand Colin. — 103, Boulevard Saint Michel, Paris, V.

En tibi, humanissime lector, primum volumen collectionis quam ad docendam Latinitatem recentibus methodis parant clarissimi illi Galli Professores litterarum Latinarum. Quem sibi proposuerunt finem non solum docendi sed etiam in docendo ad humanitatem alumnos educandi, hoc volumine vere consequetur methodus illa religiose adhibita. Totam hujus primi curriculi materia in tres trimestres distribuitur et in unoquoque ita morphologia, syntaxis et vocabularium gradatim proponuntur ut ex rebus facilitioribus ad difficiliores suaviter alumnus ducatur per pauca, pracepta eaque clarissima, per exempla innumera, per plures imaginaulas classicas et themata abundantissima tum Latina tum Gallica et exercicia continua ex Latino in Gallicum et ex Gallico in Latinum, propo-

sitis antea ad res aptissimis vocabulis. Qua quidem methodo hoc tantum curare debet magister Latinitatis, ut sedulo ab aliis adhibeatur, nihil enim libro deest, neque superest, ut patet titulum supra positum insipientibus. Unitate etiam ad praesentem alumni statum semper conspirant et morphologia et syntaxis et vocabularia, ea tamen mensura et quantitate cuius capax consetur alumnus pedetentum proficiens. Per partes et magnis intervallis docet declinationes et conjugationes regulares et praceptiones syntacticas, sed ad finem grammaticae tabulas praebet ordinatas completissimas inter se comparatas exemplorum (modèles) omnium et declinationum et conjugationum, et tandem repertorium methodicum totius syntaxis, quae omnia programma constituunt perfectissimum ad omnia recolenda quae prius didiceris. Qui opus hujusmodi sibi comparabunt praceptoribus, scimus profecto adserturos esse nos in eo commendando nec ampliores fuisse nec liberaliores. Interea juvat effusis manibus auctoribus plaudere eisque ex animo gratulari qui adeo praesens suis habuerint animis lemma aedium editorialium Colin « Labeur sans soin, labeur de rien », ut opus tam utile perfecerint.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. .

Tite Live. — *Histoire Romaine*. — T. I. Traduction Nouvelle de Eugène Las-serre. — Garnter, Paris.

Maximum Livii opus *Historia Romana* seu *Annales*, etiam *Decadae* appellantur, quia perspicuum est auctorem quasdam librorum series distinxisse tanquam partes singulas tanti operis. Sed plures periere, et hodie tantum servantur Decades prima, tertia, quarta et pars quintae (Lib. 1-10, 21-45). Hoc vol. duos priores libros primae decadae continent cum propriis Periodis. Textui et interpretationi praemittitur compendium bibliographicum et eruditę. Introductio studiis monographicis innixa, praecipue Taine (Essai sur Tite Live, 1856).

H. MARTIJA, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Jactabunbus. (*Fabula Sinensis*). —

I. Cum duo homines iter facerent, quamdam lecticam obviam invenerunt, quam insipientes, primus «is qui sedet — inquit — super lecticam ex amicis meis est, atque ex ea forte descendet si me videbit; propterea secedamus a via, nec hac molestia eum afficiamus». Itaque quotiescumque nobiles viatores invenerunt ipse eadem inculcabat: «A via secedamus, sunt enim ex meis intimis et familiaribus; a via secedamus». Cum autem quemdam veste detrita invenerint primus vocem pressit; alter vero: «a via recedamus; is ex meis bonis amicis est. Tunc primus jocose: «Hujusmodi sunt amici tu?» — Cui alter: «Tibi nobiles acceperisti, hosque mihi reliquisti; nisi eos eligam, quo me vertam?»

CONSTANTINUS BARROSO.

Latinitatis alumnus

Verdolaii, 22-X-35.

II. Iter faciebant duo homines. Aliquam lecticam in via invenerunt. Dixit tunc primus: «Secedamus de via! Hic sedens in lectica collega meus est. Descendet de lectica si oculos in me convertat. Secedamus de via; ne eum hac molestia afficiamus». Quotienscumque inveniebant peregrinatores nobiles, idem semper dicebat primus: «Secedamus de via. Hic est aliquis inter collegas meos intimos». Cumque aliquod temporis spatium deambulasset, invenerunt quendam hominem centonibus male tectum, nihil dixit prior. Tunc dixit alter: «Hei! secedamus de via! Hic est aliquis inter collegas meos optimos! — Statim prior jocose: «Ahl, dixit, hujusmodi sunt omnes tui in timi collegae?» — «Vael, optimostu elegisti omnes, respondit alter, reliquens dumtaxat malos; nisi hos mihi sumo quo me vertam?»

CYRIACUS SANCHEZ. C. M. P.

Segoviae.

Las perlas falsas y las verdaderas. — Así hablaron en cierta ocasión a las perlas verdaderas las falsas: vuestra raza se halla siempre rodeada de peligros. No os protegen ni las más íntimas recámaras, ni los cuartos reservados, ni ni los armarios con pieles de perros marinos fabricados; intranquilas os llevan las nobles matronas sobre su cándido cuello; y no muy seguras estáis en las imágenes que el pueblo venera en sus templos; nosotras, en cambio, jamás tememos a los ladrones, aunque nuestra belleza y trémulo brillo sea al vuestro muy semejante y con nuestro uso se vean más hermosos los cabellos y vestidos. Confundidas con vosotras estamos a la venta en los escaparates de los joyeros donde ni nos faltan compradores ni carecemos de las alabanzas de los curiosos. A lo que las verdaderas respondieron: El único que por algún tiempo puede alabaros y ser vuestro admirador es el simple o la gente sencilla que no entiende de estas cosas; pero, a la verdad, en nada os parecéis a nosotras; ni en la honra ni en el verdadero mérito.

VICTORIANO ZURBANO, C. M. P.
Villa del Rosario (Argentina)

Salve

Salve potens regina, Mater misericors,
Clarus nitor dulcedoque
Ave unica spes nostra! Filii vagi
Evae gementes plangimus
In his profundis gemituum convallibus;
Ergo advocata pauperum
Nobis tuos oculos benignos detege,
Ostende nobis Filium
Sacrata Mater, vere filiorum eris
Mater tuorum Hispaniae;
Et a sacrato Monte Serrato tuo
Miseros Iberos protege.
Carentibus luce esto lumen pariter,
Et necem ruentibus
Deus tibi perenne, quae precantium
Benigna votis annuis.

MARTINUS ALSINA, C. M. P.
Alabonae, V Id. Maj. a. MCMXXXV.



Compositiones vertendae

Catelli (1), vulpes et cucurbita

In amplam sicut longissimus irrepsaserat (2)
 Caulis (3) florentis et rarae cucurbitae;
 Magnusque fructus pendebat cum ficulis.
 Duo constiterant catelli curiosius (4)
 Rem suspicentes; fructus spernunt arboris;
 Cucurbitae tantummodo dicunt (5) munera.
 At vulpes transit, carpitque ignorantiam;
 O capita utilium ignara! Non coloribus
 Aut mole (6) solum sunt res aestimabiles.

(1) Cachorros, perrillos. — (2) Encaramarse. — (3) Planta, tallo. — (4) Comparativo de intensidad: con mucha curiosidad. — (5) Alabar. — (6) Por la magnitud, grandeza.

Latrunculus constanti animo praeditus



Quid agit latro solus? — Quisnam eum vidit et quid facit? — Quo tegumento induitus est latro venientes perspiciens famulus armatos? — Quid tandem famulus, quid latro?

Robar	subripi
precioso	pretiosus
muebles	supellex (sine plur.)
saco	saccus
piel	pellis
mirar por la cerradura	inspicere per serae foramen
haces	fasces
cubrirse	contegere se
fiera	belua
quedarse yerto de espanto	extimescere

MONITUM

Subnotatores nostri ne obliscantur oportet obligationem solutionis pretii incipere mense octobri eamque valere usque ad mensem junium anni insequentis. Ideo in syngraphis pecuniariis duos simul annos constare facimus: 1935—1936.